

tamen et recepto usu in huius generis contractu, res remitti solet expensis illius ad cuius exigentiam fuit tradita, scilicet locatarii in locatione, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Qui ad restitutionem tenetur, debet quamprimum moraliter restituere, nisi rationabilis causa illum excuset, atque, si statim non restituat, totum tenebitur reparare damnum ex mora culpabili emergens.

Prob. Præceptum restituendi est negativum, aut saltem præceptum negativum semper continet, nempe præceptum rem alienam non retinendi: atqui præceptum negativum obligat semper et pro semper, et ideo ipsi quamprimum moraliter satisfaciendum est: ergo.

Diximus 1^o *quamprimum moraliter*; restituendi enim præceptum obligat quidem statim physice et mathematicè ad deponendum propositum rem alienam detinendi, sed non ita præcise ad realem obligat restitutionem, bene vero quamprimum moraliter, id est, data occasione opportuna et absque culpabili mora; hoc autem ex prudentum æstimatione dijudicandum est.

Diximus 2^o *atque, si statim non restituat, totum tenebitur*, etc.; tunc enim illius damni causa est efficax, positiva et injusta. Ergo.

Diximus 3^o *ex mora culpabili*: si enim restitutio non sit debita ex delicto, et mora restituendi sit inculpabilis, nulla est obligatio reparandi damnum inde emergens et lucrum cessans; nulla siquidem est culpa theologica, ut supponitur. Si autem restitutio ex delicto facienda sit, stricta erit obligatio compensandi damnum emergens, etsi mora non sit culpabilis, quia illud damnum ex causa injusta provenit.

Si tamen damnum istud extraordinarium esset, nec prævideri potuisset, debitor illud reparare non teneretur, juxta multos doctores, præsertim si creditor facile illum admonere potuisset, et non admonuisset; tunc enim damnum istud casui fortuito vel ipsius creditoris negli-

gentiæ tribuendum foret, non vero debitori. Ita *Vogler*, n. 426.

Nihilominus probabile videtur debitorem illud reparare teneri, quia reipsa causam illius positivam, injustam, theologice culpabilem, ut supponitur, et efficacem posuit, unde damnum istud vere imputabile est restitutionem culpabiliter differenti.

PROPOSITIO QUARTA.

Restitutionem eo modo fieri sufficit quo plene justitiæ violatæ satisfiat.

Prob. In eo consistit restitutio, ut damnificatus in eo statu reponatur in quo esset, si jus ejus violatum non fuisset. Ergo.

Hinc, etsi in ablatione rei alienæ aliquod subortum fuerit scandalum, nihilominus præcepto restituendi satisfiat per occultam rei traditionem, quamvis ex charitate publice reddi deberet.

Pariter non refert an restitutio per ipsum debitorem aut per alium fiat, an advertente aut non advertente domino perficiatur. Attamen si dominus, existimans restitutionem ita factam merum esse donum, aliud simile donaret, minus illud debitor non posset retinere, ut evidens est: imo qui sic restituit ut restitutio ejus tanquam donum gratuitum habeatur, semper contra veritatem peccat, siquidem alterum decipit.

QUESTIO QUINTA.

De causis a restitutione excusantibus.

Aliæ ad tempus tantum a restitutione excusant, et aliæ omnino liberant. De his et illis in duplici articulo dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CAUSIS QUÆ AD TEMPUS A RESTITUTIONE EXCUSANT.

Præter ignorantiam invincibilem, quæ, dum permanet, restitutione excusat, tres sunt aliæ causæ propter quas

licitum est restitutionem ad tempus differre, videlicet 1^o impotentia debitoris, quæ ex inopia ipsius nascitur, vel ex damno quod pateretur; 2^o damnum creditoris aut alterius personæ; 3^o cessio honorum.

§ I. — De impotentia debitoris.

Duplex distinguitur impotentia restituendi, scilicet impotentia physica et impotentia moralis. Impotentia dicitur physica, quando debitor est in absoluta impossibilitate restituendi, v. g., quia nihil habet unde restituat. Manifestum est hanc impotentiam, quandiu durat, a restitutione excusare.

Impotentia est moralis quando debitor absolute quidem restituere posset, sed non sine magna difficultate; quod duplici modo contingere potest, nempe propter necessitatem præsentem, et propter damnum ex restitutione futurum.

Necessitas autem triplex distinguitur, extrema, gravis et communis. Necessitas extrema est status personæ quæ adeo est indigens, ut periculum vitæ amittendæ incurrat nisi ei subveniatur; necessitas gravis est status personæ quæ ita ægre vivit, ut incurrat periculum in gravem incidendi morbum nisi auxilium ei præbeatur; necessitas communis est status personæ quæ non nisi difficulter et cum magno labore vivit: quibus positis, sit

PROPOSITIO.

Qui restituere non potest, nisi se suosve in extremam vel gravem conjiciat necessitatem, generatim a restitutione tandiu excusatur, quandiu necessitas durat.

Prob. 1^o quoad extremam necessitatem; nam in extrema necessitate omnia bona sunt communia, saltem quoad usum, ita ut quilibet possit ad vitam suam conservandam bona alterius subripere; hoc omnes fatentur: a fortiori ea retinere potest.

Prob. 2^o quoad gravem necessitatem; licet enim restitutionem differre quando creditor rationabiliter eam exi-

gere non posset: atqui creditor restitutionem rationabiliter exigere non posset, si debitor illam facere non valeret nisi se suosve in gravem conjiciendo necessitatem: ergo. *Sic communiter theologi.*

In necessitate gravi alienum sibi sumere non licet, ut diximus, et qui illud abriperet furaretur. Sed magnum adest discrimen inter summam alienam subripere, et illam jam habitam restituere differre. Septem rationes hujus discriminis affert *Vogler*, n. 477: hic eas require.

Diximus *se suosve*, etc. Per suos, illi intelliguntur qui ipsi arcte conjunguntur, ut pater, mater, uxor, filii, alii ascendentes et descendentes; horum enim propinquitas efficit ut aliquo modo una et eadem sint persona, atque ideo necessitas unius censetur necessitas alterius. Quidam etiam addunt fratres et sorores, et quidem merito, si adhuc in tenera sint ætate et sibi providere nequeant: et probabiliter adhuc si absque sua culpa ad gravem necessitatem fuerint redacti. At si propria culpa in tali angustia seipsum constituerint, tunc eorum indigentia non videtur ratio sufficiens restitutionem differendi.

Diximus etiam *generatim*, quia sunt quædam exceptiones quas in responsis ad sequentes quæstiones indicabimus.

Quæritur 1^o utrum necessitas debitoris, sive extrema, sive gravis, a restitutione excuset, si creditor in eadem versetur necessitate.

R. 1^o. Si creditor in gravi versetur necessitate, eadem necessitas debitorem a restitutione non excusat; in pari enim necessitate melior esse debet conditio non solum innocentis, sed etiam rei proprietarii: ubi de gravi necessitate agitur, creditor revera est proprietarius rei apud debitorem existentis, siquidem sola extrema necessitas omnia bona facit communia. Sic doctores.

R. 2^o. Si creditor et debitor simul in extrema necessitate sint constituti, vel extrema creditoris necessitas venit immediate ex rei ipsius ablatione, vel non. In priori casu, rem non licet auferre, et ablata, si tempus adhuc exstet, reddenda est; debitor enim tunc in mortem innocentis, po-

sitive et directe influeret; hoc autem non licitum est etiam ad tuendam propriam vitam: ergo, etc. Hinc eripere non licet naufraganti solam qua salvari possit tabulam, nec præ fame morienti auferre unicum quo vivere queat panem, etiam ad vitandam propriam mortem. *Ita omnes.*

At si extrema creditoris necessitas non oriatur immediate ex rei ipsius ablatione, sed ex alia causa, v. g., si quis alterius equum furatus fuerit, ac in communi hostium impetu postea supervenienti, dominus equi capiendus sit nisi equum ad fugiendum habeat, fur teneturne illum reddere si idem periculum incurrat? Hic theologi dissentiunt. Alii dicunt possessorem teneri equum alienum restituere, præsertim si ex delicto illum habeat; nam melior esse debet conditio domini innocentis, et invitus merito foret, si in tali extremitate res sua ipsi non redderetur; negant autem in eo casu omnia bona fieri communia, quia tales sunt circumstantiæ ut non adsit motivum propter quod doctores in eam communitatem bona aliquoties recidere senserunt. *Ita Henno, Pontas, Collet, etc.*

Alii negant obligationem in hoc casu existere rem alienam reddendi; in extrema enim necessitate omnia bona fiunt communia. Ergo stricte dici non potest possessorem detinere rem alienam et eam reddere teneri: non enim influit positive in mortem creditoris, sed simpliciter eam permittit ut vitam suam conservet. Sic *Lessius*, l. 2, c. 16, n. 13; *card. de Lugo*, d. 21, n. 4; *Vogler* eandem sententiam approbare videtur, n. 464.

Cæterum, communiter docetur eum qui rem alienam legitime, v. g., ex contractu, tenet, illam domino in extrema necessitate constituto reddere non obligari, si sit ipse in eadem necessitate, quia vere pro eo tempore jus ad rem tenendam habet.

Queritur 2º utrum qui in extrema necessitate re aliena usus est, eam postea reddere teneatur.

R. Si res aliena adhuc subsistat, ut equus, v. g., quo usus est ad fugiendos hostes, nulla est difficultas: juxta omnes reddi debet; res enim clamat domino. Si ante extremam necessitatem debitum contraxerit, et restitutionem

legitime distulerit propter extremam necessitatem, ea transacta, ad restitutionem adhuc tenetur; debitum enim contrahendo, actionem personalem in se creditori dedit: hæc autem actio per supervenientem necessitatem non extinguitur: ergo. *Sic omnes theologi.*

Tota igitur difficultas est utrum qui in extrema necessitate rem alienam, v. g., frumentum, consumpsit, illius pretium solvere teneatur.

Probabile videtur illum ad restitutionem non teneri, si tempore quo rem consumpsit, re et spe, id est, absolute et sub omni respectu, fuerit pauper; in extrema enim necessitate omnia bona fiunt, saltem quoad usum, communia: sed bona, de quibus hic agitur, usu consumuntur: nulla igitur potest esse obligatio ea deinde restituendi, præsertim si non fuerint ablata ante necessitatem, sed in ipsamet necessitate. *Ita communius theologi.*

Si autem debitor non fuerit pauper in spe sicut et in re, id est, si, quamvis actu indigens, alibi bona haberet, vel mox habiturus esset, in extrema necessitate absolute non erat constitutus, sicque res aliena ipsi mutuo data sufficiebat: eam ergo non fecit suam, ac proinde, eam consumendo, rem alienam consumpsit: ergo illius pretium solvere tenetur, nisi tamen ea res fuerit parvi momenti; quo casu omnino data merito censetur. *Ita card. de Lugo*, d. 16, n. 72; *Vogler*, n. 467; *Billuart* et communiter alii.

Qui restitutionem propter gravem necessitatem distulit, eam, transacta necessitate, facere tenetur; *illud patet.*

Queritur 3º utrum debitor restituere teneatur cum dispendio boni alterius ordinis?

Notandum est quadruplicis generis distingui bona in quibus fieri potest læsio, nempe bona animi, bona corporis, ut vita et membra, bona famæ et bona fortunæ.

Qui in gravi necessitate versatur, restitutionem differre potest, ex dictis, modo creditor eandem fere non experiatur necessitatem: unde qui restituere non potest quin in bonis etiam ejusdem generis patiatur detrimentum longe gravius incommodo quod creditor ex rei suæ priva-

tione experitur, hanc restitutionem legitime potest differre : *a fortiori* ergo non peccaret eam differendo, si restituere non posset absque gravi dispendio boni altioris ordinis, sive respectu sui, sive respectu suorum.

Hinc, qui statim restituere non potest quin famam amittat, quin vitæ periculum incurrat, quin filia ejus præ paupertate prostitutioni ex fragilitate se tradat, a restitutione tunc facienda excusatur.

Attamen si, omnibus perpensis, bona restituenda prudenti judicio majoris aut non multo minoris pretii æstimentur, quam bona superioris ordinis per restitutionem amittenda, restitutio differri non potest; nam æqualitas reponenda id exigit, et alioquin creditor merito invitus esset : unde qui grandem pecuniæ summam furatus est, eam statim restituere tenetur, si leviter tantum timeat ne ut fur habeatur, aut si jam ut fur passim teneatur. *Sic communiter theologi.*

An vero sit obligatio bona superioris per bona inferioris ordinis compensandi, expendemus infra, ubi de homicidio.

Quæritur 4^o utrum qui habuit rationem sufficientem ut restitutionem differret, damnum inde emergens reparare teneatur.

R. Vel ad restitutionem tenetur ex delicto, vel absque delicto : si prius, totum damnum emergens reparare tenetur ; quamvis enim restitutionem differendo non peccaverit, causam tamen damni voluntarie et injuste posuit : illud ergo reparare debet : si posterius, ad damnum emergens ordinarie non tenetur ; si enim ad illud teneretur, vel ratione rei alienæ, vel ratione injustæ damnificationis : atqui neutrum dici potest ; non ratione rei alienæ, siquidem res aliena ex restitutionis dilatione pretiosior non evasit ; nec ratione injustæ damnificationis, quia nullum admisit peccatum, ut supponitur : ergo. *Sic communiter theologi.*

Diximus ordinarie ; nam si restitutionem ad lucrum percipiendum distulisset, etsi non peccavisset, quia, v. g., necessitatem domini ignorasset, damnum emergens reparare deberet ; cum alterius enim detrimento ditari non

licet, et rationabiliter dominus invitus esset si damnum, quod occasione alterius lucri patitur, sibi non compensaretur ; nam in pari causa melior est conditio creditoris qui jus ad rem suam habet, quam debitoris.

Quæritur 5^o utrum qui restituere non potest quin a statu suo cum magno dedecore notabiliter excidat, restitutionem differre possit.

R. Vel statum suum juste acquisivit, vel injuste ; si juste illum possideat, totum abjicere non tenetur ut restituat : magistratus, v. g., non tenetur artem mechanicam exercere ; hoc enim creditores rationabiliter exigere nequeunt. *Ita censent doctores.* Tenetur tamen minuere, quantum fieri potest, expensas in victu, in vestitu, in famulatu, ut paulatim restituat ; imo, si hæc debita, non ex infortunio, sed ex ludis, comessationibus, superfluis expensis contraxerit, et ea solvere non possit nisi a statu acquisito excidat, ab illo tunc excidere tenetur ; hoc enim malum sibi imputare debet. *Ita Lessius, Vogler, n. 472, Billuart, etc.*

Si autem statum suum injuste acquisierit, v. g., usuris, concussionibus, rapinis, etc., illum penitus deserere tenetur. *Sic generaliter theologi.* Non enim proprie statum suum abjicit, sed alienum dimittit. Ergo.

§ II. — De damno creditoris vel alterius personæ.

Restitutio duplici modo creditori nociva esse potest, scilicet, si res ipsi eo reddatur tempore quo e manibus ejus eripienda est, vel tempore quo prævidetur ea in sui detrimentum abusus.

PROPOSITIO PRIMA.

Debitor potest, et aliquando ex charitate restitutionem ob damnum domino eventurum differre tenetur.

Prob. 1^o. Potest, quia certe, in casu supposito, dominus rationabiliter non est invitus ; 2^o tenetur ex charitate ; nam unusquisque tenetur ex charitate malum proximi, quantum moraliter potest, avertere. Ergo.

Hinc debitor reddere non debet ensem quo prævidet dominum in necem suam abusurum esse; si tamen dominus sub pœna mortis vel mutilationis illum peteret, reddi posset; ob gravem enim causam ponere licet actionem ex se bonam qua alter prævidetur abusurus: atqui redditio ensis in se bona est, et gravis est causa illum remittendi; eum igitur reddere licet: debitor permissive tantum se habet relative ad mortem domini, ut incolumem seipsum conservet. *Ita communissime theologi.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Debitor aliquando tenetur ex justitia restitutionem differre ob damnum alteri personæ eventurum.

Prob. Ille enim contra justitiam peccat, qui positive et injuste ad actionem alteri damnificativam concurrat: sed aliquando debitor ad actionem alteri damnificativam positive et injuste concurreret, si rem alienam statim redderet, nempe si ad damnum inferendum manifeste peteretur; si enim debitor in illo casu rem suam ad malum inferendum præberet, contra justitiam peccaret: porro non magis rem alienam quam suam concedere potest, quando ad injustitiam petitur; est enim participatio in ipsa injustitia: ergo.

At si grave malum debitori immineat ex denegatione rei alienæ, illam statim reddere potest absque ullo peccato, sive contra justitiam, sive etiam contra charitatem; damnum enim alteri inferendum ipsi imputari nequit, siquidem actionem ex se bonam facit, et rationabilem habet causam eam faciendi; non tenemur enim damnum alterius cum æquali aut fere æquali damno nostro impedire. *Est sententia communis.* Unde ad vitandam mortem imminentem reddere licet gladium domino, illum ad alterum occidendum petenti.

§ III. — De bonorum cessione.

Cessio bonorum est actus quo debitor, ad debita sua impar, positus, scilicet, in eo statu qui gallicè dicitur *ban-*

queroute, déconfiture, faillite, juxta casus et circumstantias personarum, omnia cedit bona sua creditoribus ut ea inter se dividant. *Cod. civ. art. 1265.*

Dnplex distinguitur bonorum cessio, voluntaria et judiciaria. Voluntaria est illa quam creditores libere acceptant et eos tantum habet effectus de quibus debitor et creditores inter se convenerunt. *Art. 1266 et 1267.*

Cessio autem judiciaria est beneficium quod lex, quacumque contraria non obstante conventionem, debitori bonæ fidei et infelici concedit ut, reliqua bona sua cedens, libertatem conservet, ita ut non possit ante judices citari, in carcerem conjici, vel in illo diutius retineri. *Cod. civ. art. 1268.*

Certum est bonorum cessionem, modo non sit fraudulenta, legitimam esse causam restitutionem differendi; lex eam instituit ab antiquiori tempore, et dici non potest hanc legem esse injustam,

Quæritur 1° utrum voluntaria cessio, in qua creditores cum debitor componunt, et de viginti, v. g., pro centum conveniunt, conscientiam penitus liberet.

R. negative. Ideo enim creditores sic componunt quia plus habere non possunt, nec propterea renuntiare censentur juri quod habent ad perfectam solutionem, si debitor aliquando solvere possit. Unde, si postea debitor pinguiorem obtineat fortunam, ad restitutionem semper tenebitur, donec omnibus suis debitis satisfecerit; ita omnes theologi et ipsa lex expresse, art. 1270; imo tenetur debitor quantum potest laborare, ut creditoribus suis satisfacere queat. Verumtamen, si creditores omnino sponte et libere misero debitori condonassent, ille ad ulteriorem solutionem non teneretur. Sed condonatio ista præsumi non potest, quamvis cessio ex bona fide facta fuerit. *Ita omnes theologi.*

Si cessio fuisset fraudulenta, non liberaret in conscientia ab obligatione creditoribus restituendi, quantum debitori esse possibile, sine dilatione, nisi in casibus supra expositis, neque debitor ille uti posset tuta conscientia privilegio quod lex concedit iis qui cessionem bonorum faciunt; lex enim bonam fidem supponit; *hoc patet.*

Quæritur 2^o an qui bona cessurus est, aliquid occulte sibi retinere possit ad honestam sui suorumque sustentationem.

R. Ex bonis legitime acquisitis retinere potest quod sibi et suis stricte necessarium est; licet enim, ex dictis, ob gravem necessitatem restitutionem differre: sed qui retinet tantum quod stricte sibi et suis necessarium est, reipsa istud reliquum reddere non potest quin se in gravem conjiciat necessitatem: legitime ergo illud retinere potest. Caveat tamen ne coram iudicibus juret se nihil retinuisse; nam tunc perjurii labem contraheret, et aliquid a iudicibus injuste obtineret. Sic *Vogler*, n. 542, et communiter alii.

Raro cum cessore ad quædam bona occultanda concurrere licet, quia semper timendum est ne plus quam legitime potest, retineat.

Diximus *ex bonis legitime acquisitis*; nam bona illegitima dimittenda sunt, juxta quod diximus ubi de statu injuste acquisito, p. 147.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE OMNINO EXCUSANTIBUS.

Varie sunt causæ quæ ab obligatione restituendi omnino excusant; præcipuæ sunt: 1^o remissio seu condonatio a creditore facta; 2^o compensatio; 3^o auctoritas publicæ potestatis.

Certum est tres illas causas omnem obligationem restituendi tollere.

1^o *Quidem condonatio*; nam per condonationem dominus transfert dominium rei suæ debitori: nullum igitur ad eam jus retinet. Ut autem donatio obligationem restituendi extinguat, tres requiruntur conditiones, nempe 1^a ut creditor donare valeat, ac proinde perfectum habeat dominium in rem quam remittit; unde pupillus et filiusfamilias remittere non possunt debita bonorum quorum administrationem non habent; 2^a ut persona cui fit remissio non sit inhabilis ad rem accipiendam; 3^a ut remissio fiat sponte, et absque ulla vi vel fraude.

2^o *Compensatio*. Duplex distinguitur compensatio, una scilicet proprie dicta, quando ex utraque parte debitum est æquale et ejusdem generis, v. g.: centum pro panno mihi debes, et ego centum pro vino tibi debeo. Certum est hanc compensationem omnino ab obligatione restituendi excusare, si debitum et creditum sint æqualia quoad quantitatem et certitudinem, ac ejusdem insuper sint generis; hæc enim compensatio non est contra jus naturale, siquidem æqualitas utrinque servatur; non est pariter contra jus positivum, cum e contra jus positivum eam inter causas quæ debitum extinguunt annumeret. *Cod. civ. art. 1289 et 1291.*

Altera est compensatio improprie dicta, quæ in eo consistit ut quis rem suam apud alium exstantem propria auctoritate recuperet, vel aliquid apud debitorem suum debito æquivalens subripiat, v. g.: equum meum furatus es, illum apud te exstantem occulte eripio, vel tuum in mei compensationem subripiam; summam pecuniæ mihi debes et non solvis, similem summam vel aliquid æquivalens clam a te aufero, etc.

Hæc compensatio ab obligatione restituendi penitus liberat, tum debitorem, tum creditorem qui rem suam vel aliquid credito suo æquivalens ita recuperavit; nulla est enim obligatio restituendi ubi nulla est inæqualitas: at in compensatione hic explicata nulla est inæqualitas: ergo.

Ut tamen sit licita, sex requiruntur conditiones: 1^o ut debitum sit certum; nam in dubio melior est conditio possidentis. Tenetur tamen debitor pro ratione dubii aliquid restituere, ut supra ostendimus, p. 135, non peccaret igitur contra justitiam creditor aliquid dubio æquivalens subripiendo: sed valde periculosum est hoc principium in praxi; 2^o requiritur ut debitum sit ex justitia; unde pauper cui dives deberet ex charitate elemosynas erogare, nihil propriis manibus titulo compensationis sumere posset; 3^o ut plus non accipiatur quam certo debetur; 4^o ut debitum aliter obtineri nequeat, v. g., per petitionem a debitore, per iudicis sententiam, sive quia

desunt probationes, sive quia perierunt testes, aut prævaricantur iudices, sive quia majores timentur discordiæ; 5^o requiritur ut vitentur scandala et periculum ne debitor iterum solvat; 6^o denique ut debitor sit in mora culpabili, alioquin jus ejus violaretur. Hæc doctrina ab omnibus theologis moraliter contra quosdam Lovanienses, nunc tenetur. Inter condiciones enumeratas quædam non sunt stricte necessariae ut occulta compensatio sit valida, sed tantum ut sit licita.

Ex conditionibus ad legitimam compensationem requisitis patet 1^o famulos, operarios, officiales publicos, nihil occulte subripere posse eo prætextu quod stipendia justo minora accipiant; nam majora hæc stipendia quæ subriperent stricte et certo illis non sunt debita. Unde Innocentius XI hanc damnavit propositionem: « Famuli et » famulæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario » quod acceperunt. »

Excipit tamen quidam theologus casum in quo servus, ad quædam opera conductus, aliis gravaretur operibus, et majus pro iis stipendium non acciperet; quamvis hanc decisionem *Collet* non admittat, et difficile nos ipsi eam in praxi admitteremus, forsitan ad restitutionem non damnamus servum qui ex æquo et bono aliquid suo labori extraordinario correspondens subripisset.

Patet 2^o, ex conditionibus suprapositis, caute admodum compensationem in praxi admittendam esse, quia rarissime omnes condiciones requisitæ implentur: itaque prudentes confessarii difficile eam ut faciendam permittere et a fortiori suadere debent. At si poenitentes ea jam usi fuerint, quando ad sacrum tribunal accedunt, non temere etiam ad restitutionem adducendi sunt; licet enim sæpe peccaverint, fieri tamen potest ut reipsa justitiam non violaverint.

III^o *Auctoritas publicæ potestatis*, quæ adhuc duplex est, nempe auctoritas juris, quæ est præscriptio, et auctoritas iudicis.

Supra probavimus præscriptionem legitimam esse mo-

dum dominium quorundam bonorum acquirendi, proindeque certum est illam ab obligatione restituendi penitus excusare, quando omnes habet condiciones ad legitime præscribendum requisitas.

Non minus certum est iudicis sententiam ab obligatione restituendi excusare; iudex enim in sententiis suis ferendis leges sequitur: sed quod secundum leges habemus, legitime possidemus, nisi leges illæ evidenter sint injustæ: porro dici non potest leges vi quarum iudices certas multas, v. g., propter delicta, ad reparationem injuriæ decernunt, esse injustas: qui ergo per sententiam justam tales obtinent multas, tuta conscientia eas retinere possunt. Si vero sententia iudicis falsa niteretur præsumptione, a restitutione non liberaret, ut evidens est.

IV^o. Præter has causas, quæ obligationem restituendi omnino tollunt, alii *ingressum in religionem* afferunt; sed hæc causa non liberat, nisi impotentia sit conjuncta, aut alia gravis existat ratio personalis iudicio prudentium æstimanda.

Aliquando autem debitor qui omnibus debitis suis nondum satisfacit, religionem nihilominus ingredi potest, si nempe in sæculo remanens, nullam aut ferre nullam habeat spem quod in posterum restituere valeat; tunc enim creditores rationabiliter exigere non possunt ut in sæculo cum detrimento boni sui spiritualis maneat. Si qua vero spes effulgeat quod remanendo in sæculo restituere possit, hunc ingressum differre, imo totaliter, juxta multos theologos, omittere tenetur; solutio enim debitorum est de præcepto, ingressus autem in religionem est tantum de consilio. Ita *Vogler*, *Billuart* et multi alii contra alios non paucos, qui contendunt debitorem, si remanendo in sæculo omnibus debitis satisfacere non possit nisi intra longum tempus, debere quidem omnia quæ possidet creditoribus suis relinquere, sed postea religionem ingredi posse; nam impotentia moralis a restitutione excusat: sed qui restituere non potest nisi remanendo in sæculo, dum ad vitam religiosam se vocatum esse sentit, in morali impotentia restituendi constituitur: ergo. Hæc opinio

valde probabilis nobis videtur, si restitutio non sit quid grave respectu creditorum, et non nisi intra longum tempus fieri possit; revera enim creditores tunc rationabiliter exigere non possent ut debitor cum tanto spiritali detrimento restitueret. Sic card. *de Lugo* et plures alii.

Quæritur utrum qui, debiti sui immemor, aliquid gratuito creditori suo donavit, ad restitutionem adhuc teneatur.

R. Evidenter tenetur: *est sententia communis*; quod enim gratuito donatur, haberi non potest ut debiti solutio, nisi detur sub conditione restitutionis, si qua forte facienda sit. Ergo. Nec refert quod id donare nolisset, si debiti memor fuisset; non considerandum est enim quid in alia hypothesis factum fuisset, sed quid reipsa factum est: titulo gratuito donavit, ergo debitum non exstinxit. E contra, si, debitum cognoscens, aliquid gratuito apparenter donaret, sed cum formali intentione debitum solvendi, ad aliam restitutionem non teneretur; quia cum dominium a voluntate nostra pendeat, secundum intentionem in contractibus existentem transmittitur, et non aliter, quidquid exterius appareat: at in præsentî casu non datur ut donum, sed ut vera debiti solutio: ergo.

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Quadruplicis generis, ut diximus, distinguuntur bona, videlicet bona animi, bona corporis, bona famæ et bona fortunæ. Violatio cujuslibet juris stricti alterius obligationem restituendi imponit: at jus strictum alterius violari potest in bonis animi, in bonis corporis, in bonis famæ et in bonis fortunæ: ergo dari potest obligatio restituendi in diversis illis bonis. De his in quadruplici agemus quæstione.

QUÆSTIO PRIMA.

De bonis animi.

Duplicis generis sunt bona animi, supernaturalia scilicet et naturalia. Bona animi supernaturalia sunt ea quæ ad æternam conducunt salutem, ut fides catholica, innocentia, etc. Bona vero animi naturalia ea sunt quæ ad ipsam hominis naturam pertinent, sicut memoria et intellectus.

PROPOSITIO PRIMA.

Qui metu vel fraude alterum in bonis animi supernaturalibus lædit, illum, v. g., inducendo ad peccatum, a vera fide avertendo, etc., damnum istud ex justitia reparare tenetur.

Prob. Unusquisque tenetur illud reparare damnum cujus fuit causa positiva, injusta et efficax: sed qui metu vel fraude alterum induxit in peccatum, damni illius vere fuit causa positiva, injusta et efficax, nam omnes jus habent ut neque metu perturbentur, neque fraude decipiantur ad hoc ut in peccatum inducantur. Et vero, qui per hujusmodi vias damnum alicui in bonis fortunæ intulisset, ad illud reparandum certo teneretur: a fortiori ergo illud reparare tenetur quod in bonis supernaturalibus animi intulit, bona siquidem animi supernaturalia multo anteponi debent bonis fortunæ. *Ita generaliter theologi.*

Hinc qui falsa docuit dogmata, qui falsis rationibus alterum ad aliquid in se criminosum induxit, ex justitia et cum propriæ vitæ periculo, fraudem suam detegeret, et insuper omnia quæ inde secuta sunt damna, quantum in se est, reparare tenetur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Qui sine metu, vi aut fraude alterum induxit in errorem vel in peccatum, v. g., suasionibus, precibus, non tenetur ex justitia, sed tantum ex charitate, damnum istud reparare.

Prob. Ille non tenetur ex justitia damnum reparare,